

**2002-04-18 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Memores Laetissimi’****IOANNES PAULUS PP. II**

**EPISTULA DATA  
IOSEPHO S.R.E. CARDINALI TOMKO  
PRAEFECTO OLIM CONGREGATIONIS PRO  
GENTIUM EVANGELIZATIONE**

*Venerabili Fratri Nostro  
IOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO  
Praefecto olim Congregationis pro Gentium Evangelizatione*

Memores laetissimi Nos salutationis Nostrae pastoralis apud dilectissimam Ecclesiam Sloveniae sex abhinc annos peractae alium iam praevideamus simili affectu illius communitatis eventum qui die XVIII mensis proximi Maii Deo largiente contingat.

Feliciter enim iam acciderat ut annis MCMXCIX et MM primum recentioribus his temporibus Concilium plenarium trium dictionum ecclesialium Sloveniae celebraretur, Labacensis videlicet Mariborensis atque Iustinopolitanae, gratulantibus nimur Nobis prosperumque eiusdem conventus exitum precantibus.

Documenta nunc placuit Nobis cognoscere illius Concilii plenarii esse rite composita quae non dubitamus quin plurimos posthac annos vitam catholicam totius regionis pervasura et affectura sint. Sexto igitur anniversario Nostrae praesentiae die eadem promulgabuntur acta.

Quo autem maiore auctoritate decreta haec divulgantur, quo clariore etiam luce illuminentur, missum quandam extraordinarium Nostrum adesse volumus Nostro qui nomine eidem praesit eventui, quin immo pro Nobis Concilii plenarii memorati acta sollemniter promulget.

Tu ipse, Venerabilis Frater Noster, ille eris Nostrae mentis ac sententiae interpres. Voluntate Nostra adstabitis ac participes omnes congruo sermone appellabis. Te ideo libenter hisce Nostris Litteris ad illud munus *Missi Nostri Extraordinarii* in Slovenia dicto die destinamus. Apostolica denique Benedictione Nostra Sacros Pastores et religiosarum familiarum sodales necnon Christifideles recreabis, unde uberrimos possint illius Concilii plenarii percipere fructus novamque communitatis Slovenicae sapienter praeparare aetatem.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XVIII mensis Aprilis, anno MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**